Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 2071

Quelle:
Copyright:

ſunt lites a *Guilelmo de S. Amore* et aliis motae contra Mendicantium Familias.

III. *fol.* 215. p. 2. Tractatus de *Indulgentiis* ſine nomine Autoris. Incipit: *Quodcunque ligaueritis ſuper terram &c. Mt. 16. duos ſines ultimos futuros eſſe in fine ſeculi* &c. Finit: *et pluit ſuper iuſtos et iniuſtos. Explicit optimus ſermo ſiue tractatus de indulgencijs.* Ejusmodi Tractatum *Franciſci de Mayronis* apud ſe fuiſſe teſtatur *Luc. Waddingus* in *Bibl. O. M.*

IV. *fol.* 221. *Rogerii Conovii* ſive *Conway* O. M. Cambri, de quo ad *Cod.* ſeq. ſermo, Tractatus de *Confeſſionibus per Regulares audiendis* contra informationes *Rich. Armachani.* Incipit absque titulo: *Confeſſio et pulchritudo in conſpectu eius* &c. et finit: *precludendo aditum ſibi et alijs talia perpetrandi. Explicit tractatus Coravij* (l. Conovii) *ordinis fratrum.* De editionibus hujus Tractatus vide *Cod. ſupracit.*

V. *fol.* 249. Ejusdem, licet nomen taceatur, *Quaeſtiones* III. *de Mendicitate Chriſti et dominio temporali.* Incipiunt: *Queſtio eſt hic de mendicitate. Et primo queritur de paupertate quantum ad renunciacionem* &c. Definunt: *hys cauenda eſt, qui ſe perfectioni euangelice aſtrinxerunt.* Mſptae fuerunt apud *Waddingum* et *Whartonum*, nataeque videntur ex Concionibus de hac Materia a *Rogerio Londini* habitis, de quibus ex aliis *Thomas Tannerus Bibl. Brit. Hibern.* p. 197.

VI. *fol.* 269. p. 2. *Galfridi Herdeby* ſive *Hardebii* O. Erem. S. Aug. Angli ✠ 1360. *Liber de Vita evangelica.* Prooemium hoc initio: *Uenerabili in chriſto patri fratri Bartholomeo* (Veneto) *priori generali ordinis fratrum Heremitarum Sancti Auguſtini. digniſſimo ſacre pagine profeſſori ſuus inutilis frater et ineptus filius frater galfridus Herdeby eiusdem ordinis ſacre Theologie magiſter indignus* &c. Ait contineri in hoc libro ea, *que tempore ſui regiminis in Oxonia alternatim arguens et reſpondens contra doctores alios replicavit*, nuncupandumque *propter materiam in eo principaliter contentam de evangelica Vita.* Sequitur Summarium *Capitum* XIX. prorſus ad mentem praecedentis *Rogerii* contra *Armachanum. C. ult.* inquiritur: *Si beatus auguſtinus pater eiusdem* (Eremitarum) *ordinis fuerit atque frater, 2do. ſi per eundem auguſtinum ordo canonicorum regularium fuerit inſtitutus.* Quo praeluſiſſe videtur *Galfridus* tricis illis, quae *Mediolani* 1477. inter utrumque ordinem exarſere, de quibus *Saxius* in *Hiſt. Typ. lit. Mediol. col.* 183. *Tiraboſchius Stor. lett. d'Italia* T. VI. P. 1. L. 2. p. 221. et *Oſſingerus Bibl. Aug.* p. 261. meminere. Opus ipſum ſic incipit: *Circa materiam primi articuli ſic argumentor: Omnes homines huius mundi ſunt eiusdem ſpeciei* &c. Sed in medio C. IX. *Codex* noſter obmuteſcit. De autore vide *Tanneri Bibl. Brit. Hib.*